



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica

Huet, Pierre Daniel

Parisiis, 1679

Approbatio Doctorum Theologorum Scholae Parisiensis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-16260

19

solide refellantur. Quo in argumento Vir doctissimus ita est versatus, ut sanam doctrinam non modo nihil læserit, sed invictissime propugnarit; ipsamque pietatis arcem, & validissimis munimentis undecunque protexerit, & us armis instruxerit, quibus insurgentes hostes facile proturbentur ac profligentur. Datum in Palatio Sangermano, VIII. Jul. A. R. S. M. DC. LXXVIII.

JACOBUS BENIGNUS Antiq. Episcopus Condomensis.

A P P R O B A T I O

ILLUSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI

EPISCOPI SAGIENSIS.

JURE merito Christianissimi Regis aulam dixerimus Christianam, in cujus gremio inter alios elucet hodie Vir omni exceptione major, cœlestis curiæ vere aulicus, ac patriæ Religionis invictissimus assertor, clarissimus Dominus *Petrus Daniel Huëtius*, qui ex concordia Veteris & Novi Testamenti, hoc Volumine feliciter comprobata, tamquam ex firmissimo ac tutissimo munimento, singulari quadam & mira eruditione arma subministrat, quibus Christi Jesu fides propugnatur, veritas defenditur, adstruitur divinitas; è contrario vero Judæorum perfidia, Gentilium cœcitas, impiorum blasphemia, Hæreticorum denique errores sternuntur ac profligantur. Quem quidem Librum, qui inscribitur **PETRI DANIELIS HUËTII DEMONSTRATIO EVANGELICA**, summa cum animi lætitia vidimus, nihilque in eo, nisi Catholicæ fidei, ac probis moribus maxime consonum deprehendimus. Idcirco, non pro nostra cum gravissimo hoc Auctore necessitudine, aut ex ipsius in nos fideli benevolentia, istud consummata doctrinæ opus commendandum censemus; sed ejusdem præstantissimo merito inclinantes, dignum lumine, & quod prælo mandetur, ad Ecclesiæ commodum, ac Fidelium institutionem judicamus. Datum Sagii, in Episcopali nostro Palatio, sexto Kal. Octobr. anno millesimo sexcentesimo septuagesimo octavo.

JOANNES Episcopus Sagiensis.

A P P R O B A T I O

DOCTORUM THEOLOGORUM

SCHOLÆ PARIENSIS.

LIBRUM, cui titulus est, **PETRI DANIELIS HUËTII DEMONSTRATIO EVANGELICA**, eximia doctrinæ opus, arte singulari concinnatum diligenter evolvimus; in quo nihil à fide Catholica, probisve moribus offendimus alienum, sed Auctoris altum & acre ingenium, summamque eruditionem, pari pietate conjunctam, quam in eo ubique deprehendimus, vix satis ut æquum est possumus commendare. Accuratam ille nobis Veteris Testamenti cum Novo Fœdere consensionem refert, arcanaque Scripturæ sacræ reconditissima, quæ Christum, Religionemque Christianam spectant, facili ratione, perspicua simul & sagaci ac docta interpretatione feliciter explanat; unde & scriptionem hanc Serenissimo, cui offertur, **DELPHINO** dignissimam censemus; eaque nobis videtur, quæ ad commune Christianæ Reipublicæ commodum plurimum conferat, & merito hanc ob causam publici juris fiat. In cujus rei fidem Nos infra scripti Scholæ Parisiensis Doctores Theologi nostrum hic chirographum apposuimus. In Sorbona, Idib. Jul. M. DC. LXXVIII.

PIROT.

PH. DU BOIS.